de premiis virginitatis nichil perderet. Sicut beata Elyzabeth amatrix castitatis adhuc marito vivente, si ipsum supervivoret, in manus magistri Cunradi continenciam deo promisit, ita quasdam matronarum post maritorum suorum + ad continencie votum induxit. Tantum in illa pollebat devocionis gracia, ut in missa sepius sub quorundam ewangeliorum lectione manicas proprias et monilia solveret, anulos et quodlibet aliud ornamentum deponeret. Velamen eciam capitis decenter et ornate compositum hora ewangelii et canonis depressit et distraxit, maxime in elevacione hostie. Fecit et aliud magne humilitatis indicium dignum memoria.

(Caput decimum)

Habebat hanc consuetudinem beata Elyzabeth, ut quociens peperisset puerum completis diebus purgacionis sue contra gentis consuetudinem laneis induta et pedibus nudis tam humiliter quam familiariter veniens ad ecclesiam et propriis ulnis exemplo beate virginis Marie infantem

ad huc

+ fisis offic. mortem [obitum]